


M P V I I

6 35





DISPUTATIONUM DE CONCILIIS
DECIMA,

Qua Eutychiani neoterici sive
Ubiquistæ refutantur:

Ad quam
DEO OPT. MAX.
ANNUENTE,

Præside


Reverendo & clarissimo viro,

D.M. JOHANNE LAM-
PADIO, S. THEOLOG. HISTORI-
ARUMQUE IN SCHOLA PUBL.
BREMENSI PROFESSO-
RE DIGNISSIMO,

respondebit

ABRAHAMUS ULRICUS
SERVESTA-ANHAL-
TINUS.

Ad d. 21. August. horis locoq; solitis.



BREMÆ

Præstantissimo viro, Dr. A.
Petro à Jans, balti Seraphi-
na hypodidatolog. unico e-
ffetu suo plurimum colui-

nittit Abrahamus Ulricus

Apud Johannem Wesselium, aō 1613.

F. 4.

ILLUSTRISSIMIS ET
GENEROSISSIMIS PRINCI-

PIBUS AC DOMINIS,

Dn. AUGUSTO;

Dn. RODOLPHO,

Dn. LUDOVICO,

Fratribus germanis : Princi-
pibus Anhaltinis, Comi-
tibus Ascaniæ, Domi-
nis Servestæ ac
Bernburgi,
&c.

Dominis suis clementissimis.

Offero vobis, heroës illustrissimi, theses hasc theolo-
gicas, placida disputantium ovēntūd in inclito Bre-
mensium Lycéo subjectas : illas quidem, si paginarum
numerus spectetur, valde exiguae ; si verò res quam tractant,
ipsa consideretur, minimè contemmendas, aut levidense, quod
dicitur, munus estimandas. Continent enim doctrinam,
non. nivis hoc tempore utilem quam necessariam de Incarna-
tione Filii Dei, seu de unione personali duarum naturarum in
Christo, quā ut perfectus Deus, ita & perfectus homo & frater
noster, nobis per omnia similis, excepto peccato, creditur : que
licet à multis passim exagitetur, & convitiis ferè innumeris
proscin-

PRÆFATIO

proscindatur; semper tamen fuerunt viri aliquot cordati, qui
eam à cavillis & imposturis adversariorum liberarent, & ve-
ritatē à tenebris, quibus hactenus involuta fuit, ita discerne-
rent, ut licet contradicentes splendidis verborum ampullatorū
lenociniis, & sophistificationibus speciosè confictis eam denuò
obscurare conati fuerint; ipsa tamen immota hactenus vel con-
tra inferorum portas constiterit. Adeò sibi constat tritum illud
Hesychii veri-verbiū: ἀνίηνος ἀληθείας θεολογίας ἢ νοϊαλύς).
Qua quum ita sint, non possum, quin Deo opt. max. pro luce
doctrine, hisce extremis mundi temporibus inter nos accensa,
gratias agam indesinentes, & cum Vigilio, patre minimè o-
mnium dormitante, exclamans dicam: Hæc est fides & con-
fessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres
roboraverunt, & fideles hucusq; custodiunt! Utique hæc
illa est doctrina, quæ clarissimis S. scripture dictis nititur, Pa-
trum testmoniis fulcitur, conciliorum orthodoxorum decretis
confirmatur: & deniq; argumentis quoq; ex ratione verbo Dei
illuminata petitis, comprobatur. Hæc est illa doctrina, quæ
multos jam annos, nontantum in tota vestra ditione, sed vel
pcipuè in illustri gymnasio Servestano (in quo me natū, educa-
tū, informatū esse, in maxima fœlicitatis parte semp collocavi,
& adhuc colloco) labore & vigiliis doctissimorum virorum
propagata est, & ex variis errorum labyrinthis vindicata: in-
ter quos beatæ memoriae theologum, & fidem Iesu Christi ser-
vū, d. M. Wolfgangum Amlingum, propatré olim meum
carissimum, honoris causa nomino: qui præterquam quod
concionibus ad populum frequentissimis, & prælectionibus
ad studiosam juventutem eruditissimis ipsam defendit;
scriptis etiam aduersus cōtradicentes nervosissimis, dum Deus
eum inter vivos esse voluit, constantissimè est tutatus. Ac ne si-
lentio præteream clariss. viros, preceptores de me studiisq;
præclarè meritos, d. M. Casparum Ulricum, ecclesiarum in
Anhaltinatu ephorum, quoad vixit, vigilantiss. & d. M.
Joannem Theopoldum, professorem s. theologiae publicum,
affinem meum honorandum; quid illi hac in parte prestite-
rint, satis loquuntur prælectiones illorum doctissimæ in gymna-
sio vestre.


P R A E F A T I O

sio vestro feliciter suscep^ta, quibus vel ipsa pulpita adhuc vi-
dentur resonare. Quemadmodum verò illum immaturè nimis
hinc ablatum vehementer doleo; ita Deum ardentiss. votis im-
ploro, ut hunc, unā cum rev. & doctiss. viro, d. M. Martino
Füsselio, Ulrici tē pangeit^s successore, diutissimē conservet,
ad nominis sui gloriam, & ecclesiarum scholarumq^s salutem
& incolamitatem perpetuam.

Hanc autem disputationem, quam in gymnasio hoc Bre-
mensi sub præsidio rev. & clariss. viri, d. M. Joannis Lampadii,
præceptoris mei plurimum colendi, publicæ disquisitionis
subjeci; ut vestræ, heroës illustrissimi, Celsitudini inscri-
berem, facit cum insignis illa beneficentia, quâ non tantum
Ill. Vest. Cels. parens, dominus JOACHIMUS ERNESTUS,
felicissime recordationis princeps, sed etiam reliqui Ascania de-
stirpe dynastæ, majores vestri laudatissimi, avum meum cariss.
d. M. Abrahamum Ulricum, vestræ ditionis ecclesiarum in-
spectorem quondam primarium, prosequuti fuerunt; tūm etiā
Illust. Vestr. Celsit. erga parentem meum Davidem Ulricum,
benignitas, quâ illum multos annos clementissimè fovistis, &
adhuc fovetis: illa demq^s munificentia, quâ me vestræ liberali-
tatis alumnū afficitis, & ad sacram theologicæ veritatis me-
ram currenti calcar additis: quæ ut per se est insignis, & laude
apud gratos meretur non exiguum; ita vel unicè me impellere
debuisset, ut, nisi planè ἀχαίεις & ingratus haberi velim,
disputationem hanc Ill. Vestr. Celsit. nominibus inscribe-
rem & nuncuparem. Accipite ergo eam benigna fronte, & me
Ill. V. Celsit. civem atq^s alumnū serena benignitatis vestræ
durâ beate. Deus opt. max. Illust. Vest. Celsit. conservet quām
diutissimè, in nostrum et patriæ dilectissima emolumentum pe-
renne, Amen. Dab. Brema-Sax. a. d. 18. Aug. anno m̄s 1560
ayias clo. Ioc. XIII.

Ill. Vestr. Cels. subjectiss.

ABRAHAMUS ULRICUS
s. theologiæ studiosus.



DISPUTATIO DECIMA
DE CONCILIIS, QUĀ UBIQUISTÆ
CONFUTANTUR.

THEISIS PRIMA.

Hactenus demonstravimus, nullo S. scripturæ testimonio nisi realem idiomatū communicationem, ac proinde Ubiquitatem; imò eam omnibus κεριτηρίοις, tam insitum quam assumptis repugnare, nec synodorum orthodoxarum aut patrum auctoritate defendi posse. Quid? quòd enervet patrum rationes, quibus illi deitatem Christi adversus hæreticos vindicarunt, itaq; Ubiquistas, ut qui in principia impingant, ab hac disputatione facessere jubemus. Sequuntur nunc argumenta artificialia, quorum *primum*, à forma unionis petitum, ita sonat: *Quicquid formam unionis hypostaticæ convellit, reprobandum est.* At Ubiquitas convellit formam unionis hypostaticæ. Ergò reprobanda est. *Quid antagonistæ mei ad hoc?* Formam unionis in communi supposito sitam esse alter ait, alter negat. Constat inter orthodoxos, unionis personalis formam esse talem copulationem, quâ persona Filii Dei

S ab æ-

ab æterno existens, humanam naturam propriâ personalitate destitutam, in unitatem personæ suæ assūmisit, salvis utriusq; naturæ proprietatibus. Non igitur hæc unio est tantum inhabitatio, qualiter in sanctis Deus habitat; nec tantum consensus; nec commixtio, ut quando aqua vino miscetur; nec combinatio, sicut duo afferes compinguntur; nec deniq; compositio, quâ ex duobus tertium quiddam exsurgit. Formam a. hanc in communisupposito consistere ita probo: Per quod Christus subsistendo distinguitur à Patre, matre & nobis, in eo forma unionis hypostaticæ consistit. At per id suppositum. Ergo. Quare non sita est forma ista in communicatione idiomatum divinorum. Quia 1. duæ essent alioqui personæ in Christo, & sequeretur, Patrem etiam esse incarnatum, cùm attributa sint communia Trinitati. 2. Corpus Christi mortuum non fuisset λόγω hypostaticè unitum. 3. Eset unio accidentalis, non substantialis. 4. ne naturæ quidem in Christo hypostaticè essent unitæ, propterea quod quædam idiomata communicari non possint, qualia sunt: increatum, esse actum purum, æternum aut infinitum. 5. humana natura esset assumta in unitatem divinæ naturæ, & esset Patri ac Spiritui sancto dñmōs̄t̄ Ḡ.

2. Ex

2. Ex hujus rei ignorantia multa absurdæ profluxerunt, quod nimis confundantur gradus præsentiae Dei & naturarum proprietates, & naturæ ipsæ cum persona & inter se commisceantur, & paulatim in heresin Patripassianorum transeat; imò Marcioniticè & Manichæè corpus Christi in spectrum convertatur, duplex deitas configatur, & ascensio in cœlum in disparitionem transformatur, & tandem cœlum terræ misceatur, & contraria, & corpora cœlestia negentur esse circumscripta.

3. Quid ad hæc noster à Cæcia? Nugatur strenue in vocabulis *communi supposito*, sed p̄ter casam, & formam unionis ex Coloss. 2. v. 9. describit τὸν λόγον in assumta carne inhabitationem σωματικῶς, & ex Athanasio οὐρανοῦ ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα, ex Phil. 2. v. 7. Hinc argumentatur: Si natura assumta cum divinitate assumēte est copulata, ejusdē gloriæ, honoris & proprietatum particeps & cōfors est facta. Resp. Negatur consequentia: confunduntur enim charismata & attributa. Quod ad dictum Col. 2. & Joan. 1. *Verbum caro factum est*; non idiomatum communicatio, sed unio duarum naturarum personalis ibi afferitur, salvis naturarum proprietatibus, ut habet Synodus Chalcedonensis: ὁ δαμασκηνὸς λόγος Φύσεων Διεφορῆς αὐτογενεῖται, Διεφθάρειν.

ἔγασιν σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ιδιότητος ἐκεῖ
τέρας Φύσεως, καὶ εἰς ἐν πεόσωπον, καὶ μίαν
τῶν αὐτῶν σωτηρεχθεις. Ad Athanasium quod
attinet, longè lecius ille de hoc mysterio sen-
sit, cum Incarnationem vocat ἐνσωμάτωσιν,
ἐνσώματον παρεστίαν, θητίασιν τῇ λόγῳ εἰς σῶ-
μα, πρόσληψιν σαρκὸς, συγκατάθεασιν, ἐνσαρ-
κεν παρεστίαν, & pag. 49. Comelin. edit. ita
scribit: Non in corpore circumclusus erat λό-
γος, neq; cum in corpore aderat, alibi deerat,
sed omnia continebat. Cum esset in humano
corpore, atq; illud ipse vivificaret, eodem quoq;
momento vivificabat universa, & in omnibus
aderat, & extra universa sustinebat. Mens
cogitatione sua nihil movet aut transfert: neque
si quis domi desidens, de cælo cogitationes meat,
ideo continuò & Solem moverit, & cælum cir-
cumverterit: sed ut ea contuetur in motu &
in rerum natura exsistere, ita vim suam in ea
explicare non potest. Ceterum nequaquam eo-
dem modo Dei verbum in corpore humano ver-
sabatur, ut quod ibi non colligatum esset, sed po-
tiū corpus in se contineret, adeò ut & ibi esset,
& in omnib. existeret, & extra rerum essenti-
as versaretur, & in solo Patre requiesceret.

4. Tantidem sunt rationes, quibus realis
idiomatum divinorum communicatio asseri-
tur, quarum ^{1.} est: In unione est πειράγοντος
& immeatio naturarum. Ergo, R. πειρά-
γοντος

γησις ista de reciproca & mutua communicacione trium personarum deitatis à patribus accipitur, sed à Damasceno ad unionis mysterium transfertur, at alio sensu. De Trinitate enim rectissimè περιχώρησις prædicatur, in qua personæ sunt æquè infinitæ & immensæ, estq; aliis & aliis; de unione non item, in qua est aliud & aliud, & alterum quidem finitum, alterum verò infinitum. Περιχώρησις ergo in unione nihil est aliud, quam reciproca & mutua idiomatum communicatio in concreto, non in abstracto. Assumptio itaq; eo sensu negatur. 2. Ubi identitas ψυχής τεως λόγος carni communicatur, ibi etiam sit communicatio idiomatum. At per unionem. Ergò. R. Communicatur carni hypostasis λόγος non aliter quam ipsa Deitas, id est, unitur, non transfunditur. Negatur ergò major. 3. Cui data est omnis potestas, eidem attributa divina sunt communicata. At carni. Ergò. R. Negatur utrumq; antecedens. εξουσία n. potestatē officii significat, à qua nemo sanus ad attributorum divinorum communicationem vel corporalem præsentiam argumentatur. Deinde non carni, sed personæ competit officii administratio κατ' ὄμνυμίαν. 4. Ex effectis communicationem istam probari contenditur, quæ sunt: vivificatio, resuscitatio, emundatio à peccatis. R. At ista sunt

S 3 Δπν-

$\Delta\pi\tau\pi\lambda\acute{e}\sigma\mu\alpha\zeta$, in quibus caro agit quod carnis est, $\lambda\acute{o}y\zeta$ quod $\lambda\acute{o}y\zeta$ est.

s. *Quid alter ab Auctro?* Sic infert: i. Quæ natura in ipsa persona τῆς λόγου habet suam subsistētiā, ea etiam illocalem & sublimem existēdi modum habet, quo omnes alias creature salva sua veritate supergrediatur. At humana Christi. Ergò. R. à particulari ad universale nihil conficitur: *Quamobrem αὐλογίσως* concludit, communicationem idiomatum, quam majestatis divinæ vocat, inde sequi, eamq; sic probat: Secundum quam naturā Christus exinanitus est, secundū eam est in forma Dei, h. e. habet majestatem Dei propriam. At Christus secundum humanam naturam est exinanitus. Ergò, R. Ambiguitas est in terminis. i. In forma Dei esse est æqualem esse Deo; neq; creata aut communicata dona seu $\chi\alpha\epsilon\iota\sigma\mu\alpha\zeta$, qualia per majestatem intelliguntur, importat. Deinde neganda est major, nec non ipsa assumptio, quia Christus secundum personam, deitate ad tempus occultatā, sese exinanivit. Sensus dicti est: Nemo putet sibi humiliationem obstatere, quo minus ad gloriam evahatur: quia illa Christo non obstitit, quo minus nomen supra omne nomen adipisceretur. *Quid* verò sibi dictum velit, Justinianus Imp. in *Confessione rectæ fidei, qua in S. Dei Ecclesia*

pre-

prædicatur, his verbis declarat, quod Deus secundum subsistentiam sibi naturam humānā univerit: Ideò n. esse unū Dominū Iesum Christum, habentem in se metipso perfectionem divinæ naturæ, & perfectionem naturæ humanæ, & manere quod erat, non transmutare quod factus est. Et Leo epist. ad Flavian. *Qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma servi, factus est homo. Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraq; natura.* Et sicut formam servi Dei forma non adimic, ita formam Dei, servi forma non minuit. Et idem ad Leonem Aug. *Quis ex sempiternitate aequalis est Deo, dicitur exaltatus: quia inseparabiliter manete unitate persona, unus atq; idem est, & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter unam cum patre Deitatem.* Secundum formam Dei ipse & pater unum sunt, secundum formam a. servi, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit eum. Et tandem concludit: *In magno sacrilegio se versari hereticorum manifestas impietas, cum sub specie Deitatis honoranda, humana carnis in Christo denegant veritatem, & religiose existimant credi, si dicatur in salvatore nostro esse non vera caro.* Ergò S. patrum judicio Ubiquistæ sunt sacrilegi. Secundum argumentum est: Quæ natura Christi ascendit in cœlos, ea collocata est ad dextrâ majestatis Dei,

S 4 longè

longè suprà omne imperium, ac potestatē,
 & potentiam, & dominationem, & omne
 nomen, quod nominatur non solū in hoc se-
 culo, verū etiam in futuro, & omnia subje-
 cta sunt pedibus ejus, Eph. i. v. 10. II. & 12.
 Atqui Christus secundum humanam natu-
 ram ascendit in cœlos. Ergò. R. Negatur
 major; quia totus Christus est exaltatus, etsi
 propter humanitatem exaltatus esse dicitur.
 Non igitur conficitur *ωχιχώρησις* seu *ἰδιωμά-*
τῶν ἡγιεινία ex coniunctione unibilium Dei
 & hominis in Christo, non magis quam in
 homine unio personalis idiomatum commu-
 nicationem producit.

6. Et orthodoxi quidem patres ad unio-
 nem hypostaticam hanc explicandam nos re-
 mittunt ad alteram unionis personalis speci-
 em, videlicet animæ & corporis in homine:
 nulla enim in rerum natura unionis persona-
 lis alia extat species. Ut autem corpus non
 est propterea invisibile, quod personaliter u-
 nitū est animæ in visibili, nec anima propter-
 ea est palpabilis aut mortalis, quod hyposta-
 ticè corpori palpabili & mortali est unita:
 ita nec caro Christi ideo est omnipræsens,
 quod immensæ Deitati est conjuncta, nec
 Deitas propterea est circumscripta, quod cir-
 cumscripto corpori personaliter est unita.

7. Fateor sanè cum Damasceno lib. 3. c. 26.

Non

Non necesse est paradigmata omni modo, & absq; defectu, similia esse rebus ipsis, sed aliquid habere simile, aliquid vero dissimile: attamen cùm Justinus scribat: ἀρμόδιον γε τὸ ὁρόδειγμα, & κατὰ πάντα, κατὰ τι γένος: appositum sanè paràdigma est, si non ex omni, ex aliqua tamen parte: etiam atq; etiam videndum est, quousq; se ista non tam similitudo, quam altera species unionis personalis, cuius tot sunt exempla, quot homines ab Adamo nati fuerunt, extendat. Et primùm accipio quod datur ex Athanasio. dial. 4. de Trin. Tom. 4. Sicut anima propter unionem ad corpus σωματίζεται, incorporatur, & corpus ψυχεῖται animatur, ita λόγος propter unionem hypostaticam dicitur caro factus, seu incorporatus, homo Christus verò dicitur deificatus, seu in Deum assumtus. Jam subsumo: At ita anima incorporatur, & corpus animatur, ut utraque suas proprietates retineat, nequaquam transfundat aut communicet alterutri. Hinc concludo: Ergò sic etiam deificatur humanitas Christi, ut nequaquam Deitas suas proprietates ei communicet. Et hoc est quod unio personalis necessariò requirit. Si enim duo finita sic personaliter uniuntur, ut suas proprietates retineant, multò magis infinitum finito unitum proprietates suas retinet. Quod cum animadvertis adversarius, & absurdum

S 5 esse

esse videat, omnia attributa communicari, caute attributa ista distinguit, & quædam incompossibilia esse dicit, quæ alteri τῶν ἐν θέρτων communicari prorsus nequeant: quædam autem communicari posse affirmat, ut quæ naturæ unitorum alterius nō repugnant. R. At Ubiquitas naturæ alterius unitorum repugnat. Ergo communicari nequit. Ex ratione à fine petita idem probo per βίαιον: quod non perficit alterum unibile, sed destruit, id non competit ei. At Ubiquitas corpus non perficit, sed destruit. Ergo est incompossibilis, & non minus ei competit, quam *accidere* corpori, aut visibilitas animæ.

8. *Quid alter à Cœcione ad hanc?* Nugage repergit, quæ nihil ad rhombum faciunt. Ut autem appareat, qua in re dissimilitudo unionum harum duarum personalium hæreat, S. patres minimè omnium præjudicio excœcatores audiamus.¹ Differentia est, ut Maxentius cont. Aceph. scribit; quod λόγος antea incarnationem extitit, quippe qui ante secula à patre natu*m* in propria persona incommutabiliter substiterit. Animam aurem humanam ante carnem alicubi subsistere, & postmodum carni inseri, nemo ausus est adfirmare.² Non dicitur una natura in Christo, quemadmodum una natura humana dicitur: quia cum una natura dicitur humana, que tamen ex duabus constat,

constat, id est ex anima et corpore principaliter,
 illa causa est, quod nec initialiter anima alibi
 possit existere, quam in corpore, nec corpus va-
 leat constare sine anima. Contrà, Deitas absq;
 humanitate permanet esse quod Deitas est: &
 humanitas etiam sine adsumtione divina in sua,
 quia divinitus instituta est, permanet esse natu-
 ra; atq; ita & sine sui adunatione possunt in-
 suis proprietatibus permanere, ex quo si earum
 facta processit unitio, propter servandam plenit-
 tudinem Sacramenti, perfectionem q;
 mysterii,
 has easdem necessarium est proferri sub una ea-
 dem q;
 persona, sic indiscretas atq; inseparabiles.
 in illa unitione constare, ut permaneant esse
 quod sunt. 3. Anima passibilis est, divinitas
 verò impassibilis, etiam in ipsa unione, ut Ru-
 sticus Diaconus l. adv. Aceph. cap. 5. ait: *A-*
nima compatitur corpori, Deus a. nequaquam.
 4. Sic idem pergit: *Anima nullatenus foris à*
corpore suo habet operationis principium. Deus
a. verbum & in humanitate existens, in cælo,
& ubiq; consuetas operationes implevit, liceat
quasdam & inestimabiles & per corpus. Quid
n. differebat ad operationes ejus, q; sunt ab initio,
utrum non haberet, an haberet humanitatē? dū
per humanitatem non plueret, non tonaret, non
astra moveret: & simpliciter dicere nihil am-
plius per eam sit operarius, nisi sola qua noviter
propter nostram sunt facta salvationem, pro qua
& hu-

*E*st humanatus est. s. Rem acutangit Rusticus Diaconus cap. 8. Ergo in nullo dissonare dicitis eam quae in Christo celebrata est unitio nem ab ea unitione quae incessanter fit in universo mundo, ubi cunq_z componitur homo? Et respondet ad hanc quæstionem, non in ipsa unitione, sed in iis tantum quæ uniuntur, id est, naturis differentiam fieri. Alioqui sicut illic quæ unitas sunt, unum eundemq_z hominem perfecerunt: sic & hic unum Christum, unum filium, unum Dominum, unam personam & unam subsistentiam. Manere autem Deitatem infinitam, & humanitatem circumscriptam, etiam in statu exaltationis, supra ex Eusebio, Athanasio, & Greg. Nysseno demonstratum est. Postremò concludit hanc controversiam Vigilius l. 4. c. 5. Non quia diversum est oculis audire & auribus videre, ideo non est unus hominis utrumq_z; aut quia diversum est capite & pedibus ambulare, ideo non est opus commune. Sicut ergo diversa habent opera caput & pedes in homine uno, & tamen unus est homo, nec alius est in capite, alius in pedibus: sic diversa sunt opera verbi et carnis in Christo, nec tamen alius est in verbo, alius in carne, sed ex utroq_z, & in utroq_z idem est Christus. Mori certè & non mori longè diversum est, & tamen nos ipsi sumus qui morimur, & nos ipsi sumus qui mori non possumus. Sicut ergo unus est homo

Homo qui moritur ex uno, & non moritur ex altero, sic unus est Christus, qui mortuus est ex carne, & non mortuus est ex verbo. Haec tenus patres. Unde sic ratiocinor: Quam dissimilitudinem nemo unquam patrum vidit, eam affectibus servientes posteri comminisci non debent. At dissimilitudinem hanc unionis personalis, ex qua in hominib. communicatio idiomatum quidem non reperiatur, in Christo vero necessariò inveniatur, patres ne per febrim quidem unquam viderunt aut observarunt. Ergò eam in male-fana causa obtrudere posteri non debent. Sed instant: Ubiq; esse humanam naturam personaliter, non quia persona est, sed quia ut natura personata unita est personæ personanti, ubique præsenti, vel quia in persona subsistit, ut ea in persona subsistentia sit causa Ubiquitatis. R. Ut unio personalis non tollit distinctionem naturarum, ita non est causa Ubiquitatis humanæ naturæ: alioqui sequeretur eam nunquam aut nusquam per se circumscripsum fuisse, aut veri corporis proprietates actu & realiter habuisse, quia nunquam & nusquam humana natura fuit extra unionem personalis. 2. eadem ratione corpus posset dici increatum, incorporeum, æternum, quia personæ increatæ, incorporeæ, æternæ est unitus: imò posset dici Deus, quia personæ quæ Deus est, unitum est.

9. Se-

9. Secundum argumentum artificiale à fine incarnationis petitum, hoc est: quicquid cum fine & scopo incarnationis pugnat, repellendum est. At Ubiquitas. Ergò. Assumptio probatur: Detis enim homo factus est, hac potissimum de causa, ut morte pœnas peccatis nostris debitas luetet, Heb. 2. v. 14. At mortem hanc Ubiquitas abnegat. Cùm enim mors sit separatio animæ à corpore, quò separabitur anima, si corpus est ubiq;? quod enim ubiq; est, loco moveri non potest. Quæ relinquetur pio sapientia, cruce Christi sublata? quæ relinquetur tentato consolationis materia, morte Christi in phantasticam illusione conversa? *Quid mei adversus hunc arrietem?* Unus negat, Christum propterea incarnatum, ut moreretur. R. Quodsum ergo sacrificia à Deo instituta, tot hostiæ & victimæ ab Abele ad Christum? & car nuncilæ per totum terrarum orbem abolitæ? Fatoe actus redemtionis mutuo nexu inter se cohærere, ita ut unus absq; alio non consistat, & ea de causa addidi *potissimum*, ne quis me resurrectionem excludere somniaret. At qui nec resurgere potuit Christus, cū jam ante resurrectionē esset extra sepulcrum: q; confirmans adversarius, corpus mortuū Christi & animā ubiq; fuisse cōcedit, nec se ex cōtradicitionis laqueis extricat, sed magis involvit, cū ait
Animam

Animā & corp' mortuū nō fuisse sibi præsen-
 tia: Quoquid imprudentius dici potest? *Quid*
alter: Argumentum à fine allatrat, cui si re-
 spondendum, pax nunquam speranda e-
 rat. Ad principale quod attinet, pueri nostri
 illū docere possent, qui interrogati, cur Chri-
 stum verum hominem esse oportuerit, respó-
 dent; *Quia* iustitia Dei postulat, ut eadem
 natura, quæ peccavit, ipsa pro peccato de-
 pendat: idq; probant ex Rom. 5. v. 12. 1. Pet.
 3. 18. *Christus semel passus est pro peccatis, ut*
nobis Deo adduceret mortificatus carne. Ut pue-
 riles sophistications risu dignas, præteream,
 sensus est: *Quo* totus Dei cultus Veteris T.
 respexit, ob id potissimum Christus incarna-
 tus est. At ad mortem Christi. Ergò. Itaq;
 hæret adversarius tanquam mus in pice, &
 manet nodus Gordius indissolutus: Si corpus
 mortuum fuit ubiq;, ergò ab anima non fuit
 segregatum, & vicissim: Si anima fuit ubiq;,
 ergò à corpore segregari non potuit. Verba
 sunt igitur, quæ effundit, ^{1.} de duplice deitate,
 quiarum una corpori, altera animæ fuerit uni-
 ta: quia Deitas propter unionem nunquam
 fuit contracta ad tres cubitos, neq; corpus
 propter unionem unquam fuit expansum per
 universum. ^{2.} de loco, sive Aristotelico sive
 Platonico. Non enim tam queritur, an cor-
 pus Christi sit in loco; quam creditur, corpus
 Christi

Christi in unione adhuc eandem longitudinem, latitudinem & membra humana retinere. 3. non est metuenda per mortem Christi personalis unionis solutio. Quod pergit argumentari adversus veritatem mortis Christi, ipse sibi querat adversarios & ad quæstionem, si anima est in corpore, quomodo eadem simul possit esse in cœlo & cum Christo, audiat pueros nostros respondentes: *Nos per Spiritum s. qui simul in Christo & in nobis habitat, ita sacro sancto ejus corpori magis ac magis unimur: ut quamvis ipse in cœlo, nos vero in terra simus, nihilominus tamen caro simus de carne ejus, & os de ossibus ejus: utque omnia corporis membra ab una anima, sic nos uno eodemque spiritu vivificemur & gubernemur.* Sed quia à pueris doceri forsan erubescit, de toto hoc argumento audiat beatum martyrem Vigilium l. i. c. 3. Si natura Dei ejusdem conditionis esset, ut per se atque in se aliquibus passionum generibus subderetur, nulla esset profectio humanum corpus suscipiendi necessitas.

10. Esto argumentum tertium à materia desumptum: *Quicquid veritatem corporis Christi aboleret, abominandum est.* At Ubiquitas. Ergo. Assumptio probatur. Si enim corpus Christi est ubique, non erit caro de carne nostra, nec nos erimus caro ex carne ipsius, nec os ex ossibus ipsius. Eant nunc, & adverbia

verbia loci à Spiritu S. usurpata cavillis eludant. Quid opus esset tot *τεκμηρίους*, quibus Spiritus S. localitatem corporis demonstrat, si in Utopia fuit corpus Christi? quid sensu externo ad probationem Christo opus alioqui fuisset? Unde Hieron. *Manet adhuc, inquit, eanatura carnis, in qua passus est.* Et Theodoret. *Habet corpus eandem circumscriptiōnēm, verique corporis formam & figuram.* Quid ad hanc rhomphæam Ubiquistæ? Unus exclamat, committi *έλεγχον* causæ, quod omnipræsentia non tollat corporis veritatem, sed potius perficiat. At contrarium demonstratur. Verum enim corpus est longum, latum, crassum: habet manus & pedes, caput & ventrem: At corpus omni præsens non est tale, nec habet membra ista organica. Ergo non est verum corpus. ^{2.} Verum corpus est locale & circumscriptum, etiam in gloria, in unione personali, in sessione ad dextram Dei. At Ubiquisticum corpus non est tale. Ergo. Unde S. patres non minùs animosè pro veritate corporis quam Deitatis dimicarunt adversus Origenistas, qui Christum per clausas fores ingressum somnabant. Hieron. ad Pammach. demonstrat corpus Christi fuisse tactile, & fores angelorum ministerio apertas, ut Act.c.12, & Matth. 28. lapis sepulcri ab angelo scribitur esse re-

T volu-

volutus. *Tolle locorum spatia*, ait Augustinus, & nusq[ue] erunt corpora, & ideo non erunt. Cyril. l. 2. de trin. *Si corpus est, ergo in loco est, & magnitudine & quantitate*; quia ne divina quidem natura, si quanta esset, circumscriptiōnē effugeret: quin angeli ipsi, licet incorporei, tamen loco circumscribuntur. Et Basil. l. de Spir. S. c. 22. *Virtutes omnes in loco circumscriptae esse creduntur*. Et Irenæus l. 5. c. 2. *Vani sunt, qui putativè Christum dicunt apparuisse: non n. putativè hæc, sed in substantia veritatis fiebant. Estq[ue] idem putativè eum dicere visum, & nihil ex Maria accepisse*. Et l. 3. c. 18. *Huic Christo apertæ sunt portæ cœli, propter carnalem ejus ascensionem, qui etiam in eadem carne, in qua passus est, redibit*. Et Vigilus l. 1. c. 6. *Post resurrectionem ad demonstrandam sui corporis veritatem & comedit & bibit, & contrectandum se discipulis obtulit, dicens: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videris habere*. Ad instantiam adversarii. *Si caro Christi divinam habet hypostasim, non erit caro de carne nostra, nec nos erimus caro de carne ipsius: At verum prius: Ergo & posterius. R. Valeret argumentum, si duplex esset hypostasis. At est una tantum, quæ ad se ut perfectissima traxit rem imperfectiorem propriâ subsistentiâ carentem. Manet igitur corpus Christi caro de carne nostra, manet localis*

calis & circumscripta, nihil obstante sessione ad dextram patris. De localitate corporis Christi speciatim consule Fulgentium l. 2. ad Thrasim. c. 3. & 5. Idem alteri antagonista, qui, scommatis & gerris exceptis, nihil novi adfert, responsum esto. Ne tamen habeat quod conqueratur, nihil concludit ratio ab officio mediatorio aut regio ad præsentiam. Potest quidem Deus plus quam nos intelligimus, interim tamen à posse non possumus argumentari ad destructionē articulorum fidei. Eat nunc, & cavillis suis eludat adverbia loci: *Gaudeme non fuisse hic*, Iohann. II. Surrexit, non est *hic*, Marc. 16. Eat, & se cum putidissimo Hunniano arguento oblectet: Humana natura Christi est in λόγῳ, ergo non in loco: & sciat quod in λόγῳ esse non aboleat rerum substantias, quo minus sint quod sunt, ut propterea corpus Christi sit illocale, quia est in λόγῳ.

II. *Quartum* argumentum ducitur ab inutili, quod etiam Helmæstadianis & Papistis ad rejiciendam Ubiquitatem sufficit: Quicquid præsentiam corporis Christi in cœna abolet, tollendum est. At Ubiquitas præsentiam in cœna, cuius gratiâ excogitata est, planè abolet & evacuat. Ergo tollenda est. Si enim ubiq; est corpus, & loco non movetur, jam ante cœnam, in, sub, & cum pane fuit:

T 2 deinde,

deinde, si per modum Utopiæ est ubiq;, ergò nec in, nec sub, nec cum pane est. Nec valet κρησφύγετον: adest ante cœnam, sed tibi non adest: quia ab Ubiquistis etiam incredulis corpus Christi accipitur, exclusa fide. Quid ad hanc machinam Ubiquistæ? Negat unus, corpus extra usum adesse pani, & tamen affirmat idem vanissimâ distinctione adhibitâ. Ergò quæro: si corpus adest propter panem, & ante consecrationem adfuit, quo sum institutione Sacramenti opus fuit? Ais: fidei adest. Cur ergò ii qui fide carent, non minùs corpore Christi vescuntur? Sive igitur sus-tentationis, sive dispensationis præsentiam p-texas, satis est ad errorem convincendum, quod corpus præsens sit in omnibus locis, ut fateris. Ergo inutilis est cœna, à qua fides excluditur, & non minùs comeditur corpus Christi, ex vestra sententia, à bobus in gramine, à Judæis & Turcis in pane, quam à Christianis fide. Si verò propter institutionem caro Christi fide accipitur, ut Helmæstadiani contendunt, jam inutilis erit ista corporis Ubiquitas. Quantò melius Gelasius, qui in Eucharistia, ait, *panis manet in sua natura & substantia, ita in Christo quoq; natura retinetur humana, salva in sua substantia.* Quid alter ad hæc? Eandem cantilenam canit. Diversi a. modi præsentia confirmant argu-men-

mentum nostrum, & quo plures modi præsentiae excogitantur, quibus corpus jam ante in pane fuit, eò magis Sacramentalis præsenta aboletur. Missis itaque nugis, audiamus Gelasium l. d. 2. nat. in Christ. *Certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi, in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergò nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus & sumus, ut sicut in hanc scilicet in divinam transeunt, sancto spiritu perficiente substantiam, permanent tamen in sua proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam virtutemq; veraciter representant: ex quibus constat propriè permanentibus, unum Christum, quia integrū verumq; permanere demonstrant.* Discat hinc adversarius, nihil habere rationem Sacramenti extra usum, ac proinde cum Helmæstadianis tantisper assensum cohibeat de omnipræsentia Christi, dum cœna administretur, propter quam corporaliter celebrandam Ubiquitas est excogitata: discat Christum adesse non propter panem, sed propter hominem, cui promissio facta est, nō pani: discat Christum adesse in cœlo localiter, in cœna sacramentaliter, ut sanguis Christi in Baptismo, in cordibus fidelium spiritu-aliter, at ubiq; personaliter.

12. *Quinta ratio petitur à remotione modorum præsentiae: Si corpus Christi, quod nunc ad dextrā Dei in unione personali sedet, est ubiq; aut est ubiq; replete tantūm, ut vulgò vocant, per modum Deitatis, aut definitivè tantūm, per modum spirituum (qui, ut Didimus ait l. 1. de Sp. S. c. 1. proprietate essentie sue finiuntur, vel, ut Basilius loquitur l. 5. de Spir. S. c. 22. particularibus locis includuntur) aut deniq; etiam circumscriptivè per modum corporum est ubiq;. Sed neq; primo, neq; secundo, neq; tertio modo est ubiq;. Ergò planè non est ubique corpus Christi. Quid antesignani mei ad hunc arietem τείκεγον? Respondet unus, errorem designari, ὥστε τὸ ἐλάττον τῆς διαρρέοσης, ab insufficienti enumeratione modorum: Deum enim plures modos nosse, quibus corpus suum præsens statuere possit, quam hosce tres. R. Speciosa esset solutio à posse ad inesse, si constaret de τῷ οὐ, seu omnipræsentia carnis, quam expressissimis scripturæ dictis confirmari fingit adversarius, cum ne unum quidem prolatum sit, proferatur, aut unquam proferri posset. Diversissima itaq; ratio est Antitrinitatorum: Filius Dei neq; replete neq; definitivè neq; circumscriptivè est in Patre & Sp. S. Ergò non est; quia constat de existentia ista, seu ὥστε τῷ οὐ ex verbo Dei. Alia hujus figmen-*

figmenti ratio est, quod nullum in sacris paginis locum habet, de quo meritò quæritur, *quomodo?* & cum nullus neque ex scriptura, neq; ratione, neq; observatione modus possit allegari, jure optimo repudiatur commen-
tum. Ne verò sine causa nobis irascantur, sciant non nobis, sed ipsis inquisitionem mo-
dorum præsentia imputandam. Ne dicam
de circumscriptivo, quo in statu exinanitionis præsens fuisse corpus Christi & verè faten-
tur; nonne hæc ipsorum verba sunt dē mo-
do definitivo, quo corpus Christi invisibi-
le, & per dimensiones penetrabile esse, &
spirituales proprietates habere, & simul in
pluribus locis esse posse ostendant, *nempe*
quod corpora nostra dicantur fore spiritua-
lia; quod similes angelis futuri simus, quod
Christus miraculose per clausum virginis uter-
um egressus sit, quod ambulaverit super a-
quas, quod per clausum sepulcrum exierit,
quod per occlusas januas ad discipulos pene-
trayerit, quod evanuerit, quod non sit amplius
considerandus secundum carnem; quid
hinc aliud colligunt, quam corpus Christi de-
finitivè esse in loco. Sed nec antecedens
verum est, nec eo sensu in locis citatis conti-
netur, nec si verum sit maximè, ex eo quod
volunt consequitur. Non minùs enim re-
pugnat omni vel multipræsentia definitiva

T. 4 quam

quām circumscriptiva præsentia : quia solius
Dei est in omnibus aut in multis simul locis
adesse.

13. Et de tertio modo scil. repletivo seu di-
vino, quid tergiversantur? Nónne ubique
majestatem & cœlestem illum modum cre-
pant, & hoc ipso loco per sessionem ad dex-
tram majestatis Dei inculcant. Cur ergò
testimonia hæc ad probandum eum modum
adducunt? Ubi duo vel tres congregati, *ero*
in medio eorum: *Ego ero vobiscum*; *ut imple-*
ret omnia, Ephes. 4. Cur innoxios patres in
suam opinionem pertrahere conantur, & in-
primis Oecumenium & Theophylactū, quos
ipsi corrumpunt in Ephes. 4. Quid verò *alter*
ad hæc? Nugatur, ut solet, & personali mo-
do ubiq; esse corpus affirmat, quod supra est
confutatum. Probat tamen ex Ephes. 4. Ut
omnia impleret. Respondeat pro nobis Hes-
sus. Quæritur, an ex his verbis Ubiqui-
tas probari possit? Nos quidem sæpius ex-
pendimus, & Deum ut oculos aperiret invo-
cavimus, sed hactenus nihil tale videre potui-
mus. Absurdum est enim impletionem de
substantia Christi intelligi, quasi substantia
carnis suæ Christus impleat omnia. Significat
enim implere virtutem, spiritum & operatio-
nem efficacem. Abite nunc, & negate istos
à vestris modos citari? Legite Form. Conc. in
qua.

qua fol. 302. tres hi modi præsentia tractantur, & Lutherum in Polem. fol. 311. 312. Atq; hæ sunt rationes præcipuæ, quibus Ubiquitas profligatur.

14. Ne verò conquerantur Ubiquistæ, quasi argumentis ipsorum nō sit satisfactum, triplicem rationum classem per ἀνακεφαλαιώσιν in epilogo q. in pugnum contrahemus. Sunt autem hæc argumentorum Ubiquistariorum genera. 1. Sunr reductiones ad absurdum, seu collationes fundamentorum Orthodoxæ doctrinæ cum principiis hæreticorum. 2. Sunt demonstrationes φανόμηναι. 3. Sunt probabiles & verisimiles conjecturæ. Eorum omnium materias brevissimè octo classibus complectemur.

15. Prima fluere videtur ex manduca-
tione corporis Christi in hanc sententiam: *quod*
verè comeditur in cœna Domini, id præsens
est: At corpus Christi. Ergò corpus Christi
præsens est in cœna, & quidem in multis si-
mul locis, ubi cœna celebratur, ac proinde
non est absurdum, id esse ubique. R. Ambi-
guitas est in terminis. Nam & præsentia
& manduca-*tion* sunt duplices, spirituales &
corporales. Spiritualis præsentia non re-
quirit contactum corporalem aut situm loca-
lem rei percipiendæ: ita manduca-*tion* spiri-
tualis non fit ore, sed corde: non dente sed

T 5 mente.

mente; ac proinde est fallacia homonymiæ.
Deinde corpus Christi non editur, quâ gloriosum, sed quâ mortuum, quâ fractum, quâ pascha pro nobis immolatum est: quod quidem sive locum sive tempus respicias, non potest aliter manducari, nisi fide.

16. Secunda classis in hunc syllogismum coacervatur: Si in sanctis angelis & hominibus divina essentia habitat inseparabiliter: ergo omnes divinæ naturæ proprietates cum humana natura sunt realiter communicatae: quod differentia inter sanctos & Christum in eo consistat, quod in illos omnia dimensæ, in Christum verò immensæ effusa sint. R. Consistit unio in eo præcipue, quod divina natura unita sit humanæ naturæ tanquam pars, Christum verum Deum & hominem constitutens: In sanctis habitat deitas, ut causa efficiens, justificans, & sanctificans: in Christo verò ut pars compositi. Neq; enim Petrus peccante peccat Deus, sed humanitate patiente patitur Deus.

17. Tertia objectio est; Quæ data sunt Christo propter unionem personalem, ab humanitate separari non possunt. At omnia Christo data sunt, Matth. 26. Ergo. R. ^{1.} Omnia sunt data Christo per æternam generationem ut Filio. ^{2.} ut mediatori. ^{3.} etiam carni, non tamen quoad realem communicationem.

cationem, sed quatenus sine alterius naturæ confusione aut distractione dari possunt.

18. Quarta objectio hæc est: Si Christo non tantum ut mediatori, sed etiam secundum humanam naturam data est omnis potestas, & nomen supra omne nomen: ergo etiam omnipotentia, & per consequens, reliqua divina attributa. R. Negamus Deum ea dare, quæ contradictionem implicant. Quæ enim Deus per essentiam suam simplissimam & perfectissimam vult, ejus contradictorium velle non potest: alioqui Dei voluntas secum pugnaret. Ambiguitas ergo est in assumptione. Data est ei πᾶσα ἐξουσία, quæ non est omnipotentia. Deinde nomen supra omne nomen, ut ipsa Deitas. Donatio verò seu effusio idiomatum divinorum in humanitatem dividit duas in una persona naturas cum Nestorio, & easdem confundit cum Eutychete.

19. Quinta argumentatio in hæc verba concipitur: Quod omnes carnis infirmitates deposituit, id etiam finiti & circumscripti naturam simul abjecit. At corpus Christi per resurrectionem depositum omnes carnis infirmitates. Ergo. R. Finitio & circumscriprio creaturarum non infirmitatem, sed perfectionem & complementum earum denotant, teste Ambrosio l. de Sp. S. Nec creatura dicen-

dicenda est, quæ non habeat circumscriptam determinatamq; virtutem. De corpore Christi speciatim testatur Lucas cap. 24. v. 39, 40. & Johan. cap. 20. v. 20. 27. & Paulus Heb. 2. Christum nobis fratribus suis per omnia similem factum esse contendit, cap. 2. v. 14. & 17. Et Augustin. lib. 3. contr. Maxim. cap. 16. Formam servi resurrectio non consumxit, sed in cœlo locavit, in ipsa sedet ad dextram Dei patris, in ipsa redditurus est ad judicium.

20. Sexta ratiocinatio est: Ubi duo αδιαστάτως οὐδὲ αδιαρρέτως uniuntur, necesse est, ut ubicunq; unum est, ibi & alterum sit. R. Nego propositionem simpliciter esse veram in iis, in quibus unum longius & latius patet altero, maximè ubi unum est infinitum, alterum finitum. Nam & in sole radius est inseparabiliter corpori solari conjunctus, non tamen ubicunq; radius est, ibi & corpus solis esse oportet.

21. Septima objectio est: Si deitas extra humanitatem existit, sequitur alicubi λόγον esse, ubi non sit Deus & homo: in cœlo nimirum, quatenus Γεώθεωπός, in terra, quatenus Deus tantum est. R. Nego consequiam, & fallacia est non causæ. Etiam si enim λόγος sit alicubi, ubi humanitas non est, nihilominus tamen ubiq; est Γεώθεωπός. Non enim sunt duo λόγοι, alter in carne, alter extra

extra carnem; sed unus intra & extra huma-
nitatem ἀχώεις manens propter simpli-
cissimam essentiam.

22. Octava & ultima classis à sessione ad
dextram Dei petitur: Ubiunque est dextra
Dei, ibi Christus est suā humanitate. At
dextra Dei est ubiq;. Ergo. R. Est fallacia
non causæ; quia sessio illa non est causa U-
biquitatis. Quod si afferatur, sequitur ante
sessionem istam carnem non fuisse ubique;
quo posito corruit argumentum ab unione
personalis ductum. Negamus autem majo-
rem: fit enim confusio dextræ Dei & sessio-
nis ad dextram Dei, *ut supralatiūs est demon-
stratum*. Atq;, ut receptui canamus, hæc
est omnium pro Ubiquitate certantium co-
piarum in unum contractarum strages & pro-
fligatio, quæ quidem pacem & concordiam
Euangelicam amantibus satisfaciat: conten-
tiosis autem, & ad turbandam concordiam
conductis, nihil est satis.

23. Concludo igitur, Ubiquitatem, quæ
nullo colore pingi aut ullo prætextu defendi
potest, ultra glacialem Oceanum vel potius
extra rerum naturam esse profligandam,
eāq;, quæ sola Concordia Euangelicæ ob-
stare videtur, eliminatā, rogo Deum pacis,
ut Ecclesiæ suæ largiatur tranquillitatem,
quæ abundet instar fluminis latissimi alveo-
los


270.


Ps. 72. Ios suos excedentis, & sit opus justitiae pax &
Efa. 32. securitas usq; in sempiternum: ut montes
35. &
48. & colles jubilent coram nobis exsul-
tantes, & omnes arbores atque
campi applaudant in prin-
cipi pacis Jesu Chri-
sto, Amen.




F I N I S.









Abbildung

H.C.

ULB Halle
002 048 558


3



56
Cb 2120

Nur für den Lesesaal!
VD77





DISPUTATIONUM DE CONCILIIS
DECIMA,
Qua Eutychiani neoterici sive
Ubiquistæ refutantur:

Ad quam,

DEO OPT. MAX.
ANNUENTE,

Præside

Reverendo & clarissimo viro,

D.M. JOHANNE LAM-
PADIO, S. THEOLOG. HISTORI-
ARUMQUE IN SCHOLA PUBL.
BREMENSI PROFESSO-
RE DIGNISSIMO,

respondebit

ABRAHAMUS ULRICUS
SERVESTA-ANHAL-
TINUS.

Ad d. 21. August. horis locoq[ue] solitis.

*Præstantissimo viro, Dr. A.
Petro à Jena, libato servit
na hypodidascalico e
affari suo plurimum coleri
BREMAE mittit Abrahamus Ulricus.*

Apud Johannem Wesselium, aō 1613.